ILLVSTRISSIMO PRINCIPI,

VIRO CLARISSIMO,

ÆQVITATE OMNIBVS AMABILI,
ad prudentiæ exemplar nato, ad iuſtitiæ ornamentum genito, vndequaque ſpectato, nunquam ſine laudis præfatione nominando,
Domino meo

D. IOSEPHO DE ARGAIZ,

MAIORIS QVONDAM DIVI BARTHOlomæi Collegij præſtantiſsimo Alumno, Almerienſis poſtmodùm, & Abulenſis Eccleſiæ digniſsimo Epiſcopo.

NVNC DENVO ILLIBERITANÆ SEDIS meritiſsimo Antiſtiti, in obſequium gratitudinis, atque amoris ſymbolum

DON PETRVS MATTHIAS
FERNANDEZ DE CORDOVA

(Non ſine Parentis mei filo)
SVPPLEX DICO, OFFERENS, CONSECRO.

GRANATÆ,
Ex Officina Regia Balthaſaris de Bolibar, in Angiportu de Abenamar.

VETERES illius Romuleæ vrbis, Orbis dominæ incolas (Excellentiſſime Princeps) frugifera Opis filiæ, cuius ope arua fœlicitèr pullulabant, ſegeteſque ad maturitatem peruenientes ſpem ſimul, ac illorũ horrea complebant, frugum fructus primos, ſeu primitias gratitudinis ergò afferre, & offerre conſueuiſſe Sulmonenſis teſtatur Naſo, lib. 2. faſtorum.

Farra tamèn Veteres iaciebant, farra metebant,
Primitias Cereri farra reſecta dabant.

Quod etiam Graiugenas factitare ſolitos Theocritus ſcribit Idylio 7. primos enim fructus, & fœtus vtpotè pulchriores immolari fas eſt. Quapropter Apollinem cupere agnos primogenitos ſacrificari, Homerus tradit lib. 23. Illyados: *Haud aliter ſtudiorũ meorũ primã meſſem, fructus inquã primos, quos in bonarum litterarum limine libaui, tibi libens libo, qui res litterarias vbiq; protegis, qui nobilitate, & ſcientia præfulges, illa ab inclyta Argaium ſtirpe deriuata, hæc proprio ſtudio, & labore adquiſita, illa ab antiquis Illuſtrium Heroum imaginibus adornata, hæc pietatis, & clementiæ ſtemmatibus condecorata. Has igitur lucubrationes, laborum meorum primitias, primos mei fœtus ingenioli, tuo dicandas nomini, numini conſecrandas ſtatui, vt aliquod meæ in te obſeruantiæ pignus ſtaret, & obſequij monumentum. Paruum & leui-*

denſe munuſculum, præcipuè ſi ad magnitudinem tuam referas, ſat noſco: huncergò ex humaniorum litterarum amœnis decerptum viridarijs florentem ſuſcipe faſciculum: hilari vt offertur pacatoque excipe vultu. Vt videant omnes, & in videant ſimul. Maximi enim Principis eſt (teſte Plinio in Panegyrico ad Traianum) *& magna largiri, & parua benignè accipere, Quod ſi (vt ſpero) feceris, in numerum quæ a te accepi, munerum iſtud referam, &*

Semper in oblita repetam tua munera mente,
Et mea me tellus audiet eſſe tuum.

Iudica opuſculum in voluntate qua tibi dicatur, non enim iudicium tuum perturbat odium, non amor inflectit, non humanus vnquàm affectus obſcurat, ratione duceris, metiris virtutibus, ſic rectiſſimè eligis, prudentiſsimè exequeris, fœliciſsimè ſedem tuam moderaris. Vt rectè, & rite canamus,

Amplũ, atq; illuſtre eſt munus, quo fungeris orbẽ
Imperio regere, & populos æquare regendo.
Nihil vnquam metiri odio, nil credere amori,
Et noſtram iuſto partiri examine terram.

AR-

ARGAIVM Soboles, natus de Stipite claro,
Nobilitas altæ ſanguine docta domus.
Digna tuæ antiquæ reſonantia claſsica Famæ,
Tantaque virtutum ſigna decora tuûm.
Ortaque ab eois laudum præconia metis,
Pars animi, Princeps, accipe grata mei.
Quàm notæ veſtræ tandèm excellentia Prolis
Dicam, â Belligeris exoriatur Auis.
O mihi ſi argutæ fluerent in plectra ſorores,
Arriperentque meæ metrica fila lyræ!
Si mea nectareæ riuis Aganypedos vndæ
Heliadum vellet tingere labra Pater!
Non Helenes canerem raptus, accenſaque flammis
Pergama, poſt annos, Marte furente, decem.
Non canerem quando (ſaxis volitantibus vltrò)
Amphion muros voce animare facit.
Et ſine laude foret noſtra Macedonicus ille
Rex, qui bellipotens cuncta ſubegit acer.
Non canerem Andromeden ereptam robore Perſei,
Margine nuda maris cum religata gemit.
Non ego turbanteis conuiuia læta Bimembres,
Pirithoi Sponſæ, Bacchi & amore feros.
Sed tua Pindarico celebrarem geſta cothurno,
Illa darent operi robora dulciſono.
In tua centenis reſonarem vocibus acta,
Cardine vtroque Orbis buccina veſtra forem.
Omne tibi Aonidum cedit modulamen, & ipſe,
Se modulante, tacens cedit Apollo tibi.

Ipſe (trophœa leuans) tibi metrica nablia tradit,
Et Pindi dixit culmine Phœbus eris.
Iure, Panomphœus Princeps, Tytana decorum
Virtutum oſtentat qui nitor almus humi.
Orbe mihi primus, nulli nec laude ſecundus,
Rerum geſtarum quos celebrauit honos,
Religioſæ Athlas molis, meritiſsime Præſul,
Æquiparat cuius nulla Talia decus.
Inconcuſſus ades, nuſquàm defeſſus agendo,
Et palmę in pondus floridæ ad inſtar abis.
Ipſe cruce, & ſacro cum ſis præcinctus amictu,
Fortibus ex humeris nobile pendet onus.
Tu cunctos pietate præis, tu dirigis arte
Ocurris proprio queis bonus auxilio.
Tu Spes fida ſatis, labentibus vnica rebus,
Vnica tu rebus gloria, honorque tuis.
Maiorem mirata fuit Salmantica tellus
Collegam, & ſtudij culmine maior eras.
Mille tibi Lauros ſuſpendit grata Minerua,
Tormis & ad fluuium gaudet habere ſuum.
Tùm Iouis Hiſpani quæ Regia ſpectat ad aſtra,
Pondere doctrinę perſtitit alta tuæ,
Illic Regalis cunctos attraxerat Aulæ
Eloquij veſtri copia dulcè fluens.
Lincea tota manens, ſemper Regina bibebat
Borbon ſermonum dogmata docta tuùm.
Te ſacrum vidit Regnum Almerienſe Dynaſtam,
Tùnc maris, & terræ paruit vnda tibi.

T-

Feciſti portus ad vela adſtare ſecundos,
  Veſtra nec immenſo fluctuet amne ratis.
Per dubios pelagi fluctus, per ſaxa, per hoſtes,
  Antraque nec duro corruat hoſte timet.
Poſteà pro motus magni mercede Philippi,
  Cûm Mitra, donum tùnc Abulenſe fuit.
Auila fulgenti tibi, pro diademate ſupplex
  Arcis læta ſuæ mœnia tanta dedit.
Tequè, tuosquè illic nectens fortuna tenebat
  Lenis, & æquali ſorte vigebat amor.
Cuncti habuit culmen (cûm te mereretur) honoris,
  Et meritò mœrens te ſine luget adhûc.
Illiberis tandêm Sedem dignaris opimam,
  Iuſſus atquê tuos obſequioſa tenet.
Bela Granata tuo magno exornata trophœo,
  Exuuias bello, paceque plena dabit.
Singilis argenti nitidas tibi cedit arenas,
  Rupeque de niuea vitrea dona refert.
Ipſe humilis ſolûm per te rotat aureus vndas,
  Auriferæquê vrnę flumina Daurus agit.
Te Populi vox vna ſonat, Te turba Quiritum
  Elogijs meritis ſydera ad alta leuat.
Te Proceres plaudunt omnes, Te ignobile Vulgus:
  Atque oneris veſtri grande veretur opus.
Martibus ex Auauis ardenti ſtirpe decorem,
  Te merito miles Bœticus omnis amat.
Tequê Sacerdotum decorata caterua Parentem
  Clamat & argutis laudibus Orbe fremit.

Con-

Concio recta Patrum Cõſcriptum diligit vnum,
   Attenta & Regimen dirigit omne tibi.
Ordo Senatorum venerabilis iſte Togatus
   Totum cedit acerius ſinê lite tibi.
Tu grandis pietate, graui miſeramine Egenos
   Vſque cibas, nudos induis, atque foues.
Tanta duodenis teſtentur munera lectis,
   Queis recubans æger conualet omnis inops.
Inclyto in Hoſpitio Diui Regale Ioannis
   Per te fœlicem diues abundat opus.
Denotat Aula recens, tanto fabricata decore,
   Quantum illi tribuit tam generoſa manus:
Phœniciæ ſupera viuatia ſæcla Volucris,
   Iudico namque annos Neſtoris eſſe breues.
Commendatorem Sobrinum, fulgida cuius
   Pectore purpureo lumine Crux radiat,
Ioſephum videas Caſtellæ iura Regentem:
   Indequê Magnatis nobile luſtret onus.
Atque ætate breuis Iuſtus, ſed Maximus actis,
   Ille diu Pallas quem redimire parat,
Obtineat Sedem veſtram: Iuſtusque feratur,
   Cingat vt illius Mitra ſecunda caput.
Nam clauum, & claues Tu Puppis, & Arcis habebis,
   Nauclerus primæ nauis vbiquê grauis.
Mitra Tyara tibi tua punica fulgeat oro:
   Almus enim fies Vrbis, & Orbis Apex.